

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XIV. De desderio quod habuit ad confessionem.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

altare: in quo agnovit quod Dominus prolocutor voluit esse ejus apud Patrem suum, pro negligentiis ejus et commissis. Dedit ei etiam baculum ad sustentandum, qui non habebat capitellum quo posset sustentari; baculus vero ille humanitatem Christi figurabat. Ancilla Christi mirabatur cur baculus capitello careret, et ait Dominus ad eam: « Ego volo manum meam ponere super illum, ut inde sustentaris; cum ergo solatium in mœrore dederò, scias quod in manu mea requiescis; sed cum non sentis consolationem, scias quia manum subtraxi, et tunc fideli corde mihi adhærebis. »

Dominus  
animæ  
mœrenti  
supponit  
manum.

---

CAPUT XIV.

DE DESIDERIO QUOD HABUIT AD CONFSSIONEM.

**D**IE quadam volens confiteri, sed confessorem non habens, multum contristabatur eo quod corpus Domini inconfessa sumere non auderet. Tunc in oratione cœpit in amaritudine conqueri Deo summo sacerdoti negligentias et culpas suas; qui dabat ei certitudinem de remissione omnium peccatorum; de quo gratias agens dixit ad Dominum: « O dulcissime Deus, quomodo nunc est circa peccata mea? » Qui respondit: « Sicut cum rex præpotens venturus est in aliquod hospitium, domus velociter mundatur ne aliquid ibi appareat quod oculus ejus offendat; sed cum tam prope sit quod immunditiæ non possint foras ejici, in angulum colliguntur, ut postmodum inde projiciantur: sic cum integram voluntatem et desiderium confitendi habes peccata, nec postmodum iterandi, omnia sic coram me delentur quod amplius eorum non recordabor; licet postmodum per confessionem

Confessarii  
defectus  
suppletur.

retractentur. Voluntas autem et desiderium quod habes et studium evitandi peccata in quantum potes, est quasi vinculum inseparabile quod te mihi stringit et copulat tædere insolubilis unionis. » Sed cum adhuc variis cogitationibus hæsitaret, reputans se indignam accedere ad imperiale convivium Regis Angelorum, cogitans qualiter imparata nec confessa tam magnificentum perciperet donum, insuper etiam spem et consolationem sibi ingereret, ait illi Dominus : « Cogita quod omne desiderium quod unquam aliquis ad me habuit, a me inspiratum est illi; et omnis scriptura, et Sanctorum eloquia a Spiritu meo fluxerunt et fluent sine fine. » In hoc cognovit quia et hoc desiderium quod habebat, ut sumeret corpus Christi, a Spiritu Sancto sibi est cœlitus inspiratum; acceptaque fiducia, in tantum confirmatum est cor ejus, ut sibi videretur nullo modo ab hoc desiderio revocari.

Desiderium  
ad Deum  
ab ipso est.

Cum autem sic esset confirmata, audivit choro Angelorum in cœlo cum lætitia personare : *Confirmatum est cor Virginis*<sup>1</sup>. Et sic accessit ad convivium excellentissimi corporis et sanguinis Christi. Tunc audivit ipsum sibi dicentem : « Vis agnoscere quomodo ego sum in anima tua ? » At illa se indignam æstimans, sed tamen nil volebat quam Dei voluntatem. Tunc vidit ex membris suis splendorem mirificum progredi tamquam solis radios; per quod agnovit divinæ gratiæ operationem in se, et bonitatis Dei erga se præcipuum indicium.

Qualiter  
in se anima  
divinæ  
gratiæ  
agnoscit ope-  
rationem.

I. Responsorium in festo Circumcisionis Domini.